

7  
SEPTEM  
FLUVIORUM  
CERTAMINA

Poeticis coloribus adumbrata

SER.<sup>MO</sup> AC REV.<sup>MO</sup> PRINCIPI

MAXIMILIANO

HENRICO

UTRIVSQUE BAVARIÆ DUCI

Electori S. R. Imperii, Archiepiscopo Coloniensi,  
Episcopo Leodiensi, Hildesensi &c.

COLONIAE AGRIPPINAE AD SS. TRES REGES

IPSO EPIPHANIAE sollemniter primùm LITANTI

A

TRICORONATO SOC. IESV IBIDEM GYMNASIO

*eiusdemque* Septenario Liberalium Artium Chorc

HONORIS

Et debitæ GRATULATIONIS ergo decantata,  
consecrata Anno Quo

PRINCEPS MYSTA DEO LITAT.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

AD LECTOREM.

*De prolixiori Carmine.*

Longiùs exundans mirum decurrere Carmen?

*Fecundo latices scilicet amne fluunt.*

Septem pariter Fluvii sua promere fensa

*Cum plausu, verbis haud potuere Tribus.*

septem I sa Cro FLVII pro PRINCIPE CURVnt,

Q' ILLbet eX ILLIs sIC alt: Iste MeVs.

SER. P

Cui  
sensu  
E  
La  
an  
at  
let  
in  
Vita  
den  
lan  
mare  
CERTA  
id  
es  
le  
SER.  
inducim  
admissi  
admitt

T  
PRINCE  
Hodiern  
Das eLoR Io  
Offerebat  
princ

SER<sup>mc</sup>. PRINCEPS.



Ni sunt aliquam-multi, quando auribus  
& oculis sensimus, à Te, dum sublimioribus excolebare Scien-  
tys, nostras Exercitationes Scholasticas frequenti ac lubenti  
visitatione Lustrari & Illustrari. Volupe scilicet erat, Ti-  
B magis, an nobis? Declamationes Rehtoricas & Philosophi-  
cas disputationes, veluti CERTAMINA quaedam umbratica  
non modo serenari & animari presentia SEREN. V<sup>r</sup>.  
verum & ingeniosis sanè argumentis eximie promoueri.

Verbo: Anima eras, Lux, & Vita Concertationibus Literarijs! Quare ut ali-  
mod non ingrata memoria signum demus, en hodie in Panegyrica Omnium Or-  
linum TIBI Certatim adgratulantium Corona, nos quoque è Tricoronato  
Gymnasio, Musarum Virginum more verecundi, sub conspectum Tuum ad sacra-  
os Pedes adrepimus, oblaturi CERTAMINA, non illa quidem Isthmia, Pythia, O-  
ympia, Quinquercia ceteraque id genus, sed Apollinea declamationis solita &  
lisputationis, cuius utriusque idem est argumentum. Quò denin septem admodum  
simus numero Scholæ, quèis Artes septem Liberales encyclopedicè edocentur  
SEPTEM FLUVIOS totidem SER. V<sup>r</sup>. SACRIS regionibus subditos in Honoris  
& Amoris Tui CERTAMEN inducimus, demississime rogantes, et quos aliquando in  
conspectum & aures benevolas admisisti, nunc quantulacumque CERTAMINA offe-  
rentes SEREN<sup>mis</sup>. quoque oculis admittere non abnuas: siquidem

Tu ipse

PRINCEPS Gloriosissim  
Hodiernâ Solennitate.

DAS GLORIOSA CERTAMINA!

Offerebant, Consecrabant iuvcntutis Studiosæ  
principes in Tricoronato Soc. Iesu Gymnasio.

SERENITATIS VESTRÆ  
Studiofissimi  
Clientes.

I. PRO RURA JULIACO.

Gabriel Iacobus *La Torre y Ayala* Hispanus suo & 77. Metaphysicorum nomine.

II. PRO RURA WESTPHALICO.

Franciscus à *Nesselrode* ex Stein cum 80. Phisicis Condiscipulis.

III. PRO VISURGI.

Iacobus Gerlachius Bernardus Baro à *Koonigsegg*, Dn. hæreditarius in *Korschen/Gersendorff/Sporvveinen & Wormen* cum 172. Logicis.

IV. PRO ERFFTA.

Christianus ab *Horst* ex *Haus & Missen*, Metropolit. Trevirensis, & Cathedralis E. Spirensis Canonicus cum 90. Rhetoribus.

V. PRO RHENO.

Franciscus Bernardus Comes de *Nassau Catzenelenbogen*, Vianden & Dietz, Don inns in *Beilstein*, &c. Metropolitanarum Colonienfis & Bremensis, nec non Cathedralium Ecclesiarum Argentinensis, Herbipolensis & Paderbornensis Canonicus suo imprimis, & 74. Poetarum nomine.

VI. PRO MOSA.

Arnoldus Liber Baro à *VVachtendunck* in *Germeseil & Hemmeren* cum 163. Syntaxistis.

VII. DENIQUE PRO SIGA.

Franciscus Wilhelmus Wernerus à *Rever* ex *Vorst Montensis* cum 266. Grammaticis.



SEPTEM  
FLUVIORUM  
CERTAMINA.

**R**HENE *Pater*, bisido pridem notissime cornu  
Vorticibus dissecte novis, geminãq, coacte  
Romani imperio *Drusi* decurrere metam,  
*Germani Rex* magne Soli, veterisq; *Tudesci*  
*Gemma, Alemannarum* grandis Dominator aquarum,  
Quid gelidâ caput abdis humo, vacuusque timoris,  
Securusque tui pleno das uda sopori  
Tempora, & in multam stertis cum scœnore Lucem?  
*Imbe!* lem *potes hoc sub casu ducere somnum,*  
Et ronchos trahere, & pigros arctare lacertos?  
Nondum infesta *Megæra* filet, nondum omne recessit  
Finibus a nostris *Frebo* cessante periculum;  
Radicata Solo nondum *Pax* germinat! audin,  
Vt *Mars* indomitus ruptis post terga catenis  
Impulsu framearum, iteratisque infremat armis  
Et gladios clypeosque novans, bella, horrida bella  
Ingeminet, stygiasque faces jaculetur *Enyo*?  
Nil *sævi Mavortis* abest, veteremque minantur,

Ergo madens emerge caput viridantibus a'gæ  
Frondebis & musco cinctum, quassisque capillis  
Frontem amplam deterge manu, barbamq; repexens  
Indice disce polo venturi oracula Fati.

Rhene sagax vigilansque audi: non arma cruenti  
Solum homines Cadmæa cient, pugnamque laceffunt;

Ipsa struunt elementa aciem, quin ipse Senatus  
Luctatur discors *Fluviorum*, & foedere rupto

Iam conjurati properando in classica *Rivi*

Litem urgent, dicuntq; diem tibi *Rhene* nefastam.

Pro se quisq; instant: **V B I O** de **PRÆSULE** Lis est

Nunc coeli auspiciis **HIERARCHA** ritè *sacrato*,

*Cui dabitur, vel Cuius erit?* quem gloria major

Condecoret *Fluvium?* quis ab hoc *Antistite* tandem

Majores sibi devincto mereatur *Honores?*

Et veluti quondam de stirpe insignis *Homeri*

*Certarunt septenæ Urbes*, propriumque dicendo

Quæque sibi *Vatem*, neutri pars altera cessit:

Sic numeroque modoque pari, sic ordine septem

Concertat *Fluviorum* agmen, quo vindice, *Bous*

Majores capiat **MAXÆMILIANUS** *Honores?*

Quis paulò maiora canat, meliore triumphet

Obsequio, memori que ferat pro munere plausum.

Subrides, taxasque meris hæc ludicra fannis

*Prælia* & effusos immani splene cachinnos

Ferreas haud solum rigidis circumstrepit armis  
Gradivus, clausisque recens iterumque revulsis  
*Fani* adytis, trepidas populorum territat aures;  
Manfuetis placidisque etiam, *Cos ardui honesti*  
Fluminibus *sua bilis inest*, armatque decoræ  
Laudis amor, teneræ præcordia mollia Lymphæ.  
En vastæ Neptunus adest regnator aquai  
Delphino advectus, Tritone canente choreuma  
Inflatis latè conchis lituisque marinis;  
Grandis Hyperboreæ *Dominum* gens Tethyos ambit,  
Najadumque chorus per aquosa cubilia plausum  
Ritè facit; jam, jamque Thronus conscenditur, oram  
Lambens *R bene* tuam densi sub fronde salicti,  
Ora tenent omnes, arrectisque auribus astant.  
Nunc glaucos oculorum orbis, hirquosque bicornis  
Vultu aperi niçtante Senex, totum excute somnum,  
Nulla mora est. jam *rivales* citat ordine Nereûs  
Pro veteri gravitate undas, & talia fatur.

O mea progenies (: quis flumina currere nescit  
In mare, ut instaurata fluant iterumq; recurrant?)  
Vosequidem potior decuit concordia, rixis  
Sepositis, altâ poteratis pace fruisçi  
Et *Domino* servire *uni*, pariterque placere; *est,*  
Nunc quoniam nimis heu! *Fratrum quoque gratia rara*  
Zelotasque inter miseros, interque Superbos

Momentis certare placet : citò dicite vestræ  
Ordine quisque suo delecta statumina causæ,  
Arbitrio ipse brevi litem præstabo diremptam.  
Fervet opus, novus urget *Honos*, & corda perurit.

### I. VISURGIS.

**P**Rincipio ante alios sinuoso calle *Visurgis*  
Saxonix sublimis adest, causamque perorans  
Incipit : O Socii, *Meus est*, propriusque manendo  
**M**AXMILIANUS erit? *quisquis prior ordine*, nunquid  
*Est ipso de jure prior?* mea gloria prima est,  
Primus erat nostris populis hic debitus *Heros!*  
**T**ILLYADEM ut fileam non una trophæa ferentem  
Bis *Dano* surrepta hosti, nostrisque locorum  
Præcipuûm latè dominantem, & fortiter oris;  
Ne *Brunsvvicanae Cereris*, vicinaque tangam  
Pocula gibbosis multum spumosa culullis;  
Ad nostros princeps momentum accessit *Honores*,  
Quando COADIUTOR FERNANDO adlectus *Avito*  
*Hildefiense Pedum* MAXÆMILIANUS adivit.  
Hanc credo eripiet laudis mihi nemo coronam.  
Pergite, ait, Iudex normam dedit ecce *Visurgis*.  
*Dicendi breviter causam. sic pergite Rivi.*

### II. RURA WESTPHALICUS.

**S**ubsequitur longè clamoso *Rura* fragore  
*Westphalicus*, strepituque mero præcerpere palma

Niliacis fimiles, circum mea littora latrant.

Scyllæos supra scopulos (ignoscite, *Fratres*)

*Stentoreâ* mihi voce opus est, ne paucâ *surdis*

Verba *canam*. neque enim mihi vox validissima tantû,

Sed potior quoque causa favet: Testem advoco fortè

*Arnsbergam*. quæ jam geminis miro omine mortem

PRÆSULIBUS famosa tulit, præstantibus utrisque,

Ambobus Bojis; ERNESTUS concidit ante,

FERNANDUS sequitur subito perimente catharri

Lethargique malo! *Patru* de funere Phoenix

Est nactus solidas MAXÆMILIANUS habenas,

*Maximus* hic mihi sèper *Honos*, columnenq; manebit.

### III SIGA.

EXcipit hunc rapidus colubrino sirmate *Siga*,

Gurgite quâ parvus tam Divo ANNONE superbus

Ante alios: quid ait, *Socii*, quid sibilus iste

Sarcasmo sibi vult mixtus [ fors omnis in altos

Turba ibat risus ] *Fluvios* non maximus inter,

Corpore *Zachæus*, magnis Machabæus Iudas

Sed sum animis, nec cedo volens! quid? nobile cernin?

Mnemosiynon Sancti ANNONIS Neptune *Siburgum*

Monte procul candente micans, ubi *Mausolæum*.

PRÆSUL *Agrippinas*, & pignora sacra reliquit?

Vt lectos taceam pisces, & cætera dona

*Primate* devota novo; telum Hercule dignum

Flumina; & à tergo *Patrem Dominumque* salutant,  
Adversâ sed fronte peto, sed præpete cursu  
Devenerans lambo ipse *Togam*, Bonnamque saluto  
Præcipuam *Mystæ* sedem, & nisi *Rhenus* aquoso  
Arceret clypeo invitum, pariterque reluctantem-  
Haud equidem solum *Bonnam*, sed pronus adirem  
Firmatæ propius campestria mœnia *Brulæ*.  
Discite submissis animis non temnere parvos!

#### IV. *MOSA*.

**D**Ixerat uberius [ neque enim mediocribus alta  
Verba deesse solent ] viridi *Mosa* limpidus alveo  
Parte aliâ sub *Rostra* fluens, quid pergitis, inquit,  
Insultare omnes festivi *Solis ab ortu*,  
Et *Solem laudare novum?* sunt magna cadenti,  
Sunt etiam *Phæbo* memorandæ encomia laudis,  
Inclytus & nostro sequitur de flumine plausus!  
Ut fileam ex ipsis terræ penetralibus atræ  
Divulsas indefessis conatibus *Hullas*  
Sulphureo carbone graves, albique remotis  
In gyrum populis commercia dulcia *Zythi*;  
Innumeris agitata malis mea *Legia*, ruris  
*Hasbani* nova metropolis, longique procellis  
Disfidii partes inter divisa potentes,  
Fatali exitio jam proxima, fortunatis  
FERNANDI auspiciis, hoc hoc *Vice-Præsule* primos

Hostibus, ad veteres rediit lætissima vultus,  
Depressumque erecta caput, fausto omine bellis  
Trans mare dispersis placidâ jam pace quiescit.  
Debita nempe *uni est* hæc gloria MAXMILIANO!  
*Hoc satis*; hæc sceges est æternæ uberrima palmæ.

V. R V R A F U L I A C U S .

Solis ab occasu propior tum *Rura* sequendo  
*Fuliacus*, par Westphalico, strepituque fragoreque  
Immenso, gyrisque vagis, sic incipit. Ore

Sim licet obfusco [ saxosus carbo colorem  
Sæpe mihi mutat circum *Eschweilera* tecta ]

Haud tamen *obsequiis sacris* immuto colorem.

DURA mihi testis, non multos *dura* per annos  
Plurima, docta pati, *duris* exercita fatis!

Fons equidem ad priscam sese *Ardu*-reciprocatur *Ennâ*

Antiquas *Eburonum* ædes *Monavia* præter  
Limina; *Agrippinam* credas me tendere ad Urbem

Atque *Ubias* penetrare plagas, sed montibus altis

Eiffliaca obfistit tellus: fugientis ad instar

Hinc *Parthi*, devexa peto, pronusque saluto

*Fratris* regna *Mose*, Verum quacumque pererrò

*Rura* vagans, *Vbios* seu *Ipectes*, sive *Eburones*

[ Adscivit tantum ipsa novus \* *Ruræ ostia Præsul* ]

In *Sacris* Dominum cognosco MAXMILIANUM,

Hic nostræ colophon laudis! majora parantem

VI. AR NAPHS.

**A** *Rnaphus* antiquis tumido hæc ebulliit ore.  
*Lechniacam* rumore Arcem quis nescit? Avitam  
 Primatum indigetum sedem, columenque Vbiorum  
 Tarpeiâ notam Arce magis. nam turba subacta est  
 Cætera *Rivorum* Domino ferè subdita *Marti*;  
 Hæc Svecis Gallis-Hassis circumdata, ternas  
 Contra acies invicta stetit, mirata seipsam  
 Denique non summo rerum molimine victam,  
 Posthuma & æternùm ret o mirabitur ætas!  
 O quoties passim erubui, manante cruore  
 Hostili manante meo, tunc maximè, apricæ  
 Quando *Grevenbrocha* propter confinia, binæ  
 Marte diu ancipiti, queis se inclinaret amicis,  
*Certarunt* utrimque acies, *Lamboiaque* tandem  
 Agmina cesserunt campo: seu gloria discors  
 Sic tulit invidiæ, seu *Libra occultæ Tonantis*!  
 Hic unus solatur amor, vigilantiaque almi  
*Præfulis* optati NE O. MYSTÆ, quando sub ipsis  
 Auspiciis *Mitra* subjectis impiger oris  
 Mercari pacem studuit, nummisque coactis  
 Grande licet [ præstat cunctis *Pax optima rerum* ]  
 Præfidiis migraturis persolvere Lytrum,  
*Nusbiaque* \* *Hassiacis* tandem est viduata manâplis.  
 Sole novo, Solisque die jam facta serena.

*Lebniacum* invictum tali haud eguisse medelâ!

VII. *RHENUS*

**D**Ixerat, excipiens *Rhenus* sic ultimus inquit  
Mugitu graviore boans: mihi credite *Fratres*,  
Dispeream avulsis *Achelous* cornibus alter,  
Ludibrium cunctis, maneat victoria ni me  
Certa penes, nitidæque illustris adorea palmæ!  
Quamquam improvifum subitò minimèque paratû  
Impetitis pariterque uno velut agmine juncti  
Obruitis, juro intrepidus *Neptune* Tridentem  
Perque tuum, perque *Vrnae* adyton, me reapse tuebor  
Vnicus *Alcides*, contraque enitar euntes  
Sex alios. *Meus* est potiori tempore, *Nofter*  
**M**AXMILIANUS erit, *Rhenumque* videbit amicum  
Invigilansque, studensque suo bene *Pastor ovili*.  
Plura licet nostræ superent firmamina causæ,  
Hic summi sermonis apex, hic *magnus Achilles*  
Finitimis *maior* populis, & *maximus* unus  
Quæ Superi, vel quanta vigent commercia nostris  
Fluctibus? ecce hinc *Mercurius* *Bacchusque* *Ceresque*,  
Et *Pallas*, *Mavorsque* & cum *Plutone* *Diana*,  
Quin *Divi*, *Divæque* omnes nullo ordine regnant,  
Atque *Ubios*, *Batavosque* beant, cursuque secundo  
Exultant *septem* properanter adire *Triones*.  
*Præsulibus* geminis vitam abstulit *Arens berga*  
*Infelix felix* dedit *Agrippina* *sepulchrum*

Nec tentata quidem, nulloque obsessa Gradivo.  
Hæc nostra, hæc Vrbs est, paucis ut plurima dicam,  
*Romanæ Fideique* tenax, *MATERNAQUE* constans  
Dogmata prima sequi, stygiique aconita molossi  
Hæreticos exosa greges, hæc gloria nostra est,  
[ Mollia prætumidis rumpantur ut ilia *Rivis* ]  
Hæc nobis laus plena manet, nemo alter habebit.

**A**Rrisit placidè Solio Neptunus ab alto,  
Et modicè erecto, Ponti quo temperat iras  
Litesque æquoreas, Sceptri pro more, Tridenti  
Innixus, resonis jubet esse silentia *Rivis*.  
Hoc nempe eloquii spumofus flumine cœpit  
Ad Partes postrema loqui. Ne pergite dulces,  
Ne rixas agitare novas, mea pignora, *Nati!*  
Sat Martique malisque datum, sat *Mulciber* orbos  
Exhaust populos, mutatus vomere cedat  
Ensis, & Agricolis reddat vagina Ligones.  
Quid? *certatis* adhuc? rixosas claudite buccas;  
Si penitus certare lubet, *certate* filendo  
Et muti insolitis certatim intendite rebus.  
Auditis resonare Choros, atque ære *Penateis*  
Campano mugire *Sacros*? quis clangor Olympum  
Altisonans, atque ima replet Delubra? putetis  
Forfan Eleusini Festa ad solennia templi  
Egressam *Cybelen* magni nova gaudia plausus

Finitimis geminare plagis, quid? fallimur, alter  
*Triptolemus* melior, melior nunc prodiit *Evan!*  
*Melchisedech* potius melior, *Superique Sacerdos*  
*Numinis*, ætherio sacrum caput unctus olivo,  
CHISIACAQUE manu PRINCEPS HIERARCHA *sacratu*s.  
Luce *Trium Regum* Regali Præful in Æde  
Sublimem faciet *Maxæmilianus* ad aram.  
Cum plateis hinc *Templa* sonant! quid lite petulcâ  
Turbatis tumidi communia gaudia *Rivi*,  
Proque superbiloqui certatis honore triumphî?  
Quod si equidem si tantus amor, si tanta cupido  
Certandi, certate novo, rivalis amoris  
Obsequio certate pari, mecumque opulentis  
Muneribus *Dominum* concordî agnoscite ritu  
Vnanimes Fratres! nil rixatoribus istis  
Latum tempus eget, nec habet victoria laudem  
Hanc tenet, edico breviter, stabilemque tenebit  
*Rhenus*, *Hyberboreas* donec labetur ad oras,  
Et dulces miscēbit aquas per sæcla marinis,  
Quæ reliquis divisa manent bonas singula *Rivis*,  
In *Rhenum* fluxere uno collecta meatu,  
Ante alios hinc semper ovât, semperque triumphat.  
Vix ea finierat Iudex, cum deinde prehensis  
Cornibus, immugit per compita cærule *Rhenis*  
In morem *Victoris* ovans, varioque refluxu

Stare loco nescit, tremuliſque uligine talis  
Riparum memor ima quatit, fundumque requirit.  
Aula omnis *Lymphata* sonat, sonat undique littus,  
Et longè nemus omne sonat, iunctisque viciffim  
Nympharum applaudit choreis innexa Corona  
Lætificum *Pæana* canens; ferit æthera clangor.  
Pars plaudunt manibus, pars ferta virent a pl. ctunt,  
*Victoremq;* parant *Rhenum* exornare corollis;  
Pars alia innectunt glaucis electra capillis;  
Præcinit hinc solus, simul isthinc concinit ordo,  
Omnibus hæc ode una placet, vox omnibus vna est:  
*Vivat io, ter io!* **NEO PRÆSUL MAXMILIANUS.**  
*Vivat io, ter io!* *Regali flumine RHENUS.*  
*Vivat io ter io!* *Fluviorum cætera turba.*

**D**Enique sub medios alterno carmine plausus  
Gramineum exscendens foliū Neptunus, adunco  
Delibat *Rhenum* sceptro, manibusque prehensis  
Ocyus æquoreas comitari invitat in oras,  
Optatus iamque ipse diu, jam jamque stiturus  
Optatum Oceano duplici jam nomine *Regem.*  
Extemplo chorus omnis adest, sequiturq; volentem  
Hinc *Araris* velox *Ubiorum*, hinc *Rivulus* inter  
*Veronam* tenui amne secans, alterque *Colonæ*  
*Mœnia Agrippinæ* findens; hostilibus inde  
*Arnaphus* exultans spolijs, *Rhenoque* maritans

seprope *Nussiades*; hinc *Siga*, & *Dussela*, *Dunaq*,  
& *Rura* & *Lupia* fontes, vno agmine pergunt  
Obsequijs *certare* novis, cursuque secundo  
um prolabentem pariter deducere *Rhenum*.  
*Tritones* hinc inde volant, festumque celeusma  
Per tremulas modulantur aquas; siphonibus amplis  
*Naiades*, plenisque volis iaculantur in altum  
*Vadiuomos* quasi *pyrobolos*, & limpida laxant  
*Tormenta* in gyrum, geminisque boatibus urbes  
Responfant, resonatque cavis in vallibus *Echo*.  
Donec *hyperboreis* grex tandem allabitur oris  
Per *Clivos Batavos*que means, *Nereides* unâ  
Occursant, *Regem*que alto clamore salutant,  
Incolumesque novo mistos jam foedere *Rivos*  
Esse jubent. Sed enim [mos hic ab origine] *salsos*  
*Dulcibus* hospitibus pisces. potumque propinant!  
*Humanæ* hoc vitæ schema est: sic tristia lætis  
Succedunt, sic fel melli; miscentur amaris  
*Dulcia*, & instabili variantur singula gyro!  
Scilicet iste *Calix falsus Maxæmiliano*  
*Præ*sagit *Mystæ*, per dura, per aspera, perque  
*Tristia*, amara, imam dum vitam vivet eundum,  
*Sola* perennanti *Supera* undant flumina melle.  
Hinc adeo si libertas nativa maneret,  
Cum *Rheno* mallet *Fluviorum* turba reverti

sic urget natale Iolum, dulciq̄ue voluptas  
Assuescens patriæ, sic urget *Maximiani*  
Grandis amor, prægrandis Honor, dolet esse remotis  
A caro *Domino*, & sejunctis degere claustris!  
Quare *Omnes idem ardor habet* pro more marino  
Septenis horis solitos addiscere fluxus,  
Cancrinofque pati Lunâ impellente refluxus  
Vt propius per trita palam vestigia sursum  
*Veronæ* dulci accedant, V biosque saluent!  
Ast spacio brevior dies & tempus & horæ  
Obstunt, celeremque jubent properare regressum  
Invitis, ultraque vetant conscendere Lymphas.  
Hinc labor, hinc dolor est, hinc falsæ lachryma frontis  
**M**Aste animo, nunc *R bene* vale, sociata valet  
Flumina, paulatim falsos potare liquores  
Discite, nec pisces horrescite forsan amarus,  
Vægrandesque Deos, austeræ assuescite turbæ  
Indigetum, durate famem, geniumque, sitimque;  
Hac nempe, hac sensim duranda promulside mens est  
Deliciis assueta olim: sic fortia fortes  
Membra decent *Fluvios* humerique laboribus apti  
Continuis, doctique alternos texere cursus.  
Interea non parva ferent solatia, *Fratrum*  
Prædulces Lymphæ, nec nuntia lata Nepotes  
Venturi celare volent, sed sponte decoro  
Clarabunt vestri *Nepotes*, *Maximiani* Honor

Scilicet unda levem pronas ætæ stabili undam  
Et faciet liquidas æterno tramite Lymphas  
Vsq; sequi, dextram Nerei prensando mariti,  
Et vobis memorando almi bona stamina *Patris* I  
S I tamen ire placet, superasq; invisere terras  
R bene per anfractus imos, terræq; meatus  
Nativa *Helvetii* tandem cunabula fontis  
Ergo subi, dulcesq; iterum condisce liquores,  
Sicerit alternos iterumq; iterumq; per orbis  
Fas Vbias lustrare plagas, & mœnibus altis  
Sacratæ boni verba dare, & bona basia *Bonnæ*,  
Divitiisq; beando novis atq; ubere cornu  
Æternum pronas *Domino* substernere Lymphas.

SIT DE CORA PALMA RHENI.

CHRONODISTICHON.

ante nV nC Iras FLV VII, CoMponIte fLV CtV s:  
enV est râ PRINC EPS ILLa Vebet Vr aqV a!



dulciue val

Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



HEATR

OSE

IGUSTISSI

IMPER

NGARIÆ, &

ARCHIDUCIS

Honorib

FEREDISSI

S. R. I. P

DOMINU

JO A

PHIL

ERBIPOLEN

FRANCIÆ C

IN CATHEDRA

TER. COGNOMINATA

LAMENTA

XV. Calend  
HERBIPOLI,